

# SVBSCRIPTAE QVAESTIONES CVM

SVIS ASSERTIONIBVS DISPVTVBVTVR DECIMO CALEN-

das Martij pro conferendo Doctorali Pileo, uenerando uiro Domino Ioanni Seidel Morauo, sacrae Theologiae Licentiato Societatis Iesu, respondente egregio liberalium artium Magistro Hermete Halpauer, Promotore Domino Ioanne Cuiuillio Doctore sacrae Theologiae & Professore ordinario.



## QVAESTIO EXPECTATORIA.

VM FIDES causa sit salutis nostrae, sine qua impossibile est placere Deo, merito quaeritur quid illa sit, & unde nobis contingat,

### ASSERTIO PRIMA.

Natura hominis ita à Dño Deo est instituta, ut finē ad quē est creata uiribus naturae suae nec cognoscere possit nec consequi,

### ASSERTIO SECUNDA.

Eum finem illi fides ostendit,

### ASSERTIO TERTIA.

Quae est definiēte Apostolo, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium,

### ASSERTIO QUARTA.

In Baptismo haec cum spe, charitate, uirtutibusq; moralibus cordi cuiusq; nostrum infunditur,

### APPENDIX.

Ac proinde donum Dei est, & non ex nobis,

### ASSERTIO QUINTA.

Qui discredet uni articulo fidei, fidem totam amittit,

### ASSERTIO SEXTA.

Fides in alijs est maior in alijs minor,

### ASSERTIO SEPTIMA.

Præstans donum Dei est fides, sed charitas præstantius,

### ASSERTIO OCTAUA.

Quid autem credere debeamus, Symbola Apostolorum, Athanasij, & Nicenum demonstrant, quae promulgare ad summi pontificis munus spectat.

## QVAESTIO VESPERTINA.

Cum huius temporis hæretici conciliorum auctoritatem in dubium reuocent, non abs re dubitatur & quaeritur, quae, & quanta eis fides adhiberi, quo loco existimari, qua reuerentia suscipi ab omnibus Christi fidelibus concilia legitima debeant.

### ASSERTIO PRIMA.

Cum in controuersijs fidei omnes Christi fideles conuenire non possint, concilium generale uniuersalem Ecclesiam repræsentans ad eas definiendas congregatur,

### ASSERTIO SECUNDA.

Pontifex Romanus quem Christus caput Ecclesiae uisibilis constituit, congregationem quae Concilium dicitur, eorum qui nunc Apostolorum, Euangelistarum, Prophetarum, Pastorum & Doctorum munere funguntur, tanquam paterfamilias, solus cogere potest, in quo uelut caput ipse praesidet.

### APPENDIX.

Non est ratum Concilium si consensus Papae non adsit, neq; aliquid quod ipso per se uel per legatos non annuente conclusum est, loco praeccepti in Ecclesia uniuersali habendum est.

### ASSERTIO TERTIA.

Horum conciliorum in Ecclesia saluberrima existit auctoritas, ac tanta, ut Gregorius magnus dicere non dubitauerit: Se quatuor concilijs magnis Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, Calcedonensi id deferre, ut non minus, quam quatuor Euangelia susciperet ac reuereretur.

### ASSERTIO QUARTA.

Concilium primum Ecclesiae à B. Petro Hierosolymis est congregatum, in quo, ascendentibus Barnaba & Paulo, quaestio legalium post Christi Euangelium obseruandorum, est uentilata ac decisa.

### ASSERTIO QUINTA.

Licet autem nonnunquam concilia Imperatores coegerint, ut Constantinus atq; alij, propterea quod id facere quibusdam causis Pontifices prohiberentur: tamen ubi primum impedimenta sunt sublata, auctoritas Pontificis in congregando concilio sese exeruit & monstrauit.

### ASSERTIO SEXTA.

Quicquid in plenario legitime congregato concilio credi oportere sancitum est, id indubitata fide tenendum est, propter uerbum Domini qui dixit Petro & in illo successoribus eius: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.

### APPENDIX PRIMA.

Scriptura difficilis & perobscura atq; in plurimos sensus flexibilis, quam auctoritate apud ipsos homines ordine temporis Ecclesia praecurrit, iudex ad definiendas religionis controuersias esse nequit.

### APPENDIX SECUNDA.

Ipsa testis est & ex ea testimonia ad probandum quid, & improbandum proferuntur.

### ASSERTIO SEPTIMA.

Potest concilium auctoritate Pontificis canones pro tempore constitutos, mutare, tollere, & novos sancire,

### ASSERTIO OCTAUA.

Non potest Papa uel concilium aliquid in scripturis immutare, nec ea quae sunt de lege diuina uel naturali in concilijs constituta, nec ea quae fidei sunt, antiquare.



